



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXXVI. S. Severvs. X. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

dem Fœminarum etiam jam ea ætate Trevirîs floruisse, argum-
to est, quòd Bassula proconsularis vidua, monasticam isthic vitam
sit amplexa, & Severus Sulpitius defuncta conjuge sua Bassulæ fi-
lia, exemplum focrus suæ sit secutus. Sulpitii domus primùm in
pauperum hospitium conversa, tandem Basilicæ sacræ formam in-
duit. Mauritius Archipræful curîs confectus & laboribus diem
obiit an. 407. 9. an, Sed.

XXXIV. D. LEONTIVS. VIII. ARCH.

D Leontius ex nobili Pontiorum genere in Aquitania na-
tus, ut est opinio, natales virtutibus illustravit, quarum
adminiculò electus Archiepiscopus, & in Divorum nu-
merum adscriptus est Divus, Superis tamen, quàm mortalibus no-
tior. Annis 2. præfuit, mortuus an. 409.

XXXV. D. AVTHOR. II. IX. ARCH.

D Author Trevirensium Sedem conscendit avibus parùm
faustis: mox enim altera Francorum adhuc moribus &
aris assuetorum populorum irruptio tentata est, D. Au-
thori mœstissima; cui haud multò post accessit tertia, *nihilò per cla-
des gravissimas, ut Salvianus inquilinus conqueritur, melioribus Trevirorum
civibus.* An D. Author ex S. Mauri Monasterio Alsatico Treviros
fuerit translatus, dubitari meritò asserit Brovverus: Tabenæ illum
juxta S. Quiriacum quiescere, est fide dignius. Sepultus est an.
427. sedit an. 18.

XXXVI. S. SEVERVS. X. ARCH.

S Severus D. Lupo Trecassino miræ sanctitatis & doctrinæ
Episcopo discipulus dedit operam. Disciplinæ socios
nactus est Polychronium Virdunensem, & Albinum Ca-
talaunensem Episcopos, multis præclaris operibus clarissimos.
Et verò in maximo Germaniæ Galliæque mœrore, ea propemo-
dum

dum summa ac memoranda fuit felicitas, quòd pleræque provinciarum regiones egregiis fuerint custoditæ Pastoribus, inter quos Severum meritò sunt veneratæ. Porro huius in Christi Fide propaganda ardorem, & in curandis ovium suarum vulneribus industriam, inde intelligamus licet, quòd Apostolico Spiritu plenus, non Belgii finibus concludi, sed finitimis perinde Germaniæ populis ac remotis, & inter hos Britannis ab orbe nostro divisis, operam desudare suam industriamque, præclarum duxerit. Plenus itaque virtutibus & meritis terras reliquit an. 455. Sed, 28.

XXXVII. D. CYRILLVS. XI. ARCH.

D. Cyrillus D. Severi Successor Antecessori fuit simillimus, si annos Sedis perpaucos demamus: duobus enim duntaxat Archiepiscopus fuit, ut esset longè pluribus, desiderium sui reliquit plurimis an. 457. jam vivis ereptus. In primis voluit esse curis templorum destructorum restorationem; templis accessit S. Eucharii Oratorium, cui adjecit Monasterium, quod S. Mathiæ nomine nuncupârunt posterii. DD. Eucharii, Valerii & Materni Reliquiis locum hunc novum exornavit. Sanctis denique Sanctus ipse est appositus an. 457.

XXXVIII. HIMERIVS. XII. ARCH.

Himerius etiam Jamiricus & Jamblychus appellatus, unius duntaxat anni Archiepiscopus, magnas meritis est laudes; ipsum namque in epistola ad Arbogastem Comitem Trevirensẽ datâ, Auspicius Tullensis Episcopus *sanctum*, Sidonius verò *Virum consummatissimum* dixit.

XXXIX.